DE

DIONYSII HALICARNASSENSIS

IN LIBRO

DE COMPOSITIONE VERBORUM STUDIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRIPSIT

GEORGIUS MESTWERDT.

GOTTINGAE,

EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH.

MDCCCLXVIII.

Cum viam investigantibus ac rationem, qua quis scriptor artem quandam liberalem perpolivit, ad multos admodum fontes disciplinasque adeundum est, ut quatenus de ingenio humano meruerit, in conspectu prorsus ponatur, tum maxime id valere, cum varias disciplinas hinc illinc collatas in usum sibi converterit, facile patet. Hoc etiam ad Dionysii Halicarnassensis doctrinam de compositione verborum pertinet. In hac commentatione si vestigia Dionysii quasi persequi conabimur, quibus ad illam exstruendam materiam suam ut ita dicam petivit, non levi hoc videtur esse obstaculo, quod fontes, qui quidem sunt gravi momento, non nominat, eos autem, quos profert, inter leviores habuisse perspicitur. Quam ob rem multis in rebus hoc sufficere debebit, ut auctorum nominibus destituti id evincamus, hoc illud in ipsius aetatis vel antecedentium studiis eum invenisse vel quia invenire non potuerit, de suo ingenio addidisse.

In universum autem de Dionysii studiis in compositione collocatis adhuc disputatum non est. Quae enim in editione Schaeferi extant notae Sylburgi, Hudsoni, Uptoni, Reiskii, ipsius, multa quidem ad Dionysii verba explicanda adferunt, sed quae inter eum aliosque rhetores ratio intercedat, parum demonstrant. Egregia vero quaedam conferunt ei homines docti, qui artem musicam Graecorum tractantes de Dionysii quoque sententiis de rebus musicis nonnullis disceptant, Rossbach et Westphal in opere de Graecorum arte metrica, Westphal in Fragmentis rhythmicorum graecorum. In libris vero qui de historia literarum graecarum,

de eloquentia et rhetorice graeca scripti sunt, denique in Weismanni, Bussii, Blassii de Dionysii scriptis rhetoricis dissertationibus de hac quam tractamus quaestione nihil profertur.

Ac primum quidem breviter argumentum libri Dionysiaci exponamus, ea quae in ceteris ejus libris rhetoricis de compositione proferuntur pauca, in commentatione ipsa exhibituri. Omnem igitur dicendi et scribendi artem in duabus rebus versari dicit, in sententiarum inventione ac dispositione (ὁ πραγματικὸς τόπος, cf. de Thucyd. 34) et in elocutione (ὁ λεκτικὸς τόπος, cf. de Demosth. 51); elocutionis partes duas esse, artem eligendorum verborum et componendorum (cf. de Thucyd. 22), quarum de posteriore disputaturus argumentum addit: cap. 1. Primum autem statuit compositionem esse orationis partium certam quandam inter se collocationem, et paucis refert, ex quot ac quibus verborum generibus membra et periodi orationis constent: c. 2. Compositionem eligendi verba arti postponi quidem, sed vi ac potestate ita praevalere, ut hujus praestantia prava compositione deleatur, duobus exemplis, altero Homerico, altero Herodoteo demonstrat, variandaque aliorum quorundam locorum structura confirmat: c. 3. 4.

Quo ordine a natura partes orationis constitutae sint, eum se male quondam sequi studuisse ubi enarravit, veterum componendi artem illustrare sibi proponit: c. 5. Ac tria quidem esse ejus negotia: primum considerare, quo ordine singula ponenda, alterum, quomodo secundum grammaticam conformanda, tertium, qua ratione sive demendo sive adjiciendo aliquid mutanda sint, quae tria quomodo ad verba collocanda valeant uberius docet: c. 6. Deinde quomodo in membris orationis locum ea habeant exemplis ostendit, eademque ad periodos pertinere significat: c. 7—9. Adsequendas esse compositionis arte duas res: suavitatem et pulchritudinem, quatenus ad aurium judicium referantur: c. 10. Oriri eas ex quattuor rebus, vocum modulatione, numero seu rhythmo, variatione, decentia ad res hominesque accommodata (μέλος, ῥυθμός, μεταβολή, πρέ-

πον), his enim omnibus audientes certa quadam ratione adfici. Deinde quae de modulatione in oratione pedestri obtinenda disserenda sunt, profert: c. 11. Causam cur haec quattuor suavitatem et pulchritudinem orationis efficiant, in literarum et syllabarum natura ac vi quaerendam esse: c. 12. 13. Itaque de his accuratius disputare instituit et quomodo eis usus Homerus verborum praestantiam et qua verba inter se jungendi arte jucundam et pulchram effecerit elocutionem, exemplis demonstrat: c. 14. 15. 16. Porro de numeris orationis ita agit, ut pedes disyllabos et trisyllabos enumeret, quaeque in singulis insit vis et virtus, exemplis probet: c. 17. 18. De variationibus inferendis brevius disputat, in earum artificio Herodotum, Platonem, Demosthenem omnibus praestare profitetur: c. 19. Denique qua ratione decora fiat orationis structura, ex Homero demonstrat: c. 20. Ita doctrina compositionis exposita duo etiam addit: trium enim dicendi generum discrimen c. 21—24. explicat, de quo eodem fere modo agit de Demosth. c. 37—42; deinde c. 25. 26. docet, qua arte oratio pedestris ad poematis et hoc ad illius similitudinem, utriusque natura integra, accedere possit.

Ac primum paucis verbis eos respiciamus, quos Dionysius de orationis structura aliquid scripsisse tradit. Theodectem et Aristotelem verborum genera tria constituisse ait, Stoicos quattuor, p. 8. Reisk. [1]). Deinde p. 32. Chrysippi libros de constructione partium orationis (περὶ τῆς συντάξεως τῶν τοῦ λόγου μερῶν) ideo se neglexisse profitetur, quod nihil de arte rhetorica contineant nec orationi civili promovendae inserviant, sed dialecticas tantum quaestiones explicent, porro p. 68. Gorgiam Leontinum, qui pri-

---

1) De Aristotele cf. Dionys. de Demosth. c. 48. Quintil. I, 4, 18: „Veteres, quorum fuerunt Aristoteles quoque atque Theodectes, verba modo et nomina et convinctiones tradiderunt". De difficili illo loco qui huc pertinet: ap. Aristot. Poet. c. 20., cf. Steinthal, Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern, p. 257—259.

mus de opportunitate s. *καιρῷ* in compositione verborum consideranda scripserit, nihil gravis momenti de ea tradidisse [1]. De Aristoxeno quae in disputatione de literarum indole ac discrimine adfert p. 72, infra examinabimus. Platonem primum de verborum originibus cum in aliis dialogis tum in Cratylo disputantem omnium optime de verbis rerum naturae imitatoribus scripsisse adfirmat p. 95. Theophrastum in libris de elocutione s. *περὶ λέξεως* quaesivisse ait (p. 101), quae verba natura sint pulchra, et omnino ex qualibus verbis pulchra atque magnifica, et ex quibus alia dicendi genera evadant [2]. Epicureos autem maxime reprehendit, quod compositionem promovere nihil curaverint, p. 188. Denique Aristotelis Rhetoricae librum tertium ut magnae auctoritatis cum de universa eloquentia civili tum de numerorum concinnitate adpetenda testem laudibus effert p. 197.

Hos igitur omnes ideo potissimum adfert Dionysius, ut ostendat, minora se eis debere, quam illis, quos aut omnino non nominat aut incertis quibusdam vocabulis, quae sunt *οἱ ῥυθμικοί, οἱ μετρικοί* cet., id quod infra ex comparatione locorum apparebit. Quid? quod ipse distinctis verbis p. 6. quenquam eorum, qui de struenda oratione quaesiverint, satisfacere negat: *συμβάλλομαί σοι μέρος εἰς τὸν ἔρωτα, τὸ περὶ συνθέσεως ὀνομάτων, πραγματείαν οὐκ ὀλίγοις μὲν ἐπὶ νοῦν ἐλθοῦσαν, ὅσοι τῶν ἀρχαίων ῥητορικὰς ἢ καὶ διαλεκτικὰς συνέγραψαν τέχνας, οὐδενὶ δ᾽ ἀκριβῶς, οὐδ᾽ ἀποχρώντως μέχρι τοῦ παρόντος ἐξειργασμένην, ὡς ἐγὼ πείθομαι.* Neque vero eorum doctrinas qui de eloquentia civili bene meruerant, contemnit, ut apparet ex epist. I. ad Amm. c. 2, ubi longam rhetorum seriem adfert. Ex quorum numero Thrasymacho et Theodectae Cicero Ephorum addit: primus ille numerum orationis pedestris invenerat, alter de arte rhetorica, tertius de elocutione (*περὶ λέξεως*) scri-

---

[1] De hoc opere cf. Spengel, Artium scriptores p. 80. 81.

[2] Cf. de Theophrasti rhetorice Quintil. III, 1, 15. III, 7, 1. 8, 62. VI, 1, 32., de elocutione libr.: Cic. Orat. 79. 172. 194. 218.

pserat [1]). Maxime vero Peripateticos philosophos et Stoicos de orationis indole quaesivisse constat: Dionys. epist. I. ad Amm. c. 2. Quintil. III, 1, 15. Cic. de inv. II, 2. Sext. Emp. adv. Mathem. II. 6. p. 289. 61. p. 301. De Stoicis quid sentiat apertius declarat p. 31. 32: *ἔγωγ' οὖν, ὅτε διέγνων συντάττεσθαι ταύτην τὴν ὑπόθεσιν, ἐζήτουν, εἴ τι τοῖς πρότερον εἴρηται περὶ αὐτῆς, καὶ μάλιστα τοῖς ἀπὸ τῆς Στοᾶς φιλοσόφοις, εἰδὼς τοὺς ἄνδρας οὐ μικρὰν φροντίδα τοῦ λεκτικοῦ τόπου πεποιημένους. — οὐδαμῇ δ' οὐδὲν ὑπ' οὐδενὸς εὑρὼν τῶν ὀνόματος ἠξιωμένων οὔτε μεῖζον οὔτ' ἔλαττον συνταχθὲν εἰς ἣν ἐγὼ προῄρημαι πραγματείαν· ἃς δὲ Χρύσιππος καταλέλοιπε συντάξεις διττάς, ἐπιγραφὴν ἐχούσας· Περὶ τῆς συντάξεως τῶν τοῦ λόγου μερῶν· οὐ ῥητορικὴν θεωρίαν ἐχούσας, ἀλλὰ διαλεκτικὴν — οὐδεμίαν οὔτε χρείαν, οὔτ' ὠφέλειαν τοῖς πολιτικοῖς λόγοις συμβαλλομένων — ταύτης μὲν τῆς πραγματείας ἀπέστην.* De Chrysippo jam supra vidimus, sed accuratius de eo agendum est. De struendae orationis doctrina eum bene meruisse, ex ipso indice operum ejus apud Diog. Laert. VII, 7. apparet; ibi quae inscripta sunt *περὶ τῆς συντάξεως τῶν λεγομένων δ'* et *περὶ τῆς συντάξεως καὶ στοιχείων τῶν λεγομένων πρὸς Φίλιππον γ'*, utrum eadem sint quae Dionysius adfert, ut Aegid. Menagius judicavit (v. not. Uptoni ad Dionysii locum cit. in edit. Schaef. p. 72), an illa huc pertineant, quae apud Diogenem Laertium inscripta sunt *περὶ τῶν στοιχείων τοῦ λόγου καὶ τῶν λεγομένων ε'* et *περὶ τῶν στοιχείων τοῦ λόγου πρὸς Νικίαν α'*, ad rem id nihi facit. Sed ne Dionysius quidem omnem laudem ei abrogat, cum perspicue dicat, Chrysippi praecepta nihil utilitatis adferre *εἰς γοῦν ἡδονὴν ἢ κάλλος ἑρμηνείας, ὧν δεῖ στοχάζεσθαι τὴν σύνθεσιν.* Quod vero gravissimum est, de juste ac recte orationis partibus inter se collocandis ante Dionysium diu quaesitum ac disputatum est, ita ut novi

---

[1]) Cic. Orat. 79. 172. 175. 192. 194. 218. 228. cf. Quintil. II, 15, 10. III, 1, 14. IV, 2, 63. IX, 4, 87. 88. Theon. Progymn. I, 170 Walz.

nihil intulerit ille, quod exponit, elocutionem in verborum electionem et compositionem dividi: idem a Cicerone in commentatione de elocutionis arte ut diu notum praemittitur de orat. III, 37, 149: „Omnis oratio conficitur ex verbis, quorum primum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde conjuncte. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est, alius, qui ex continuatis conjunctisque constat." cf. 52, 199. Nimirum quid esset compositio, apud omnes constabat; Dionysius c. 2 in ita eam definit: *ἡ σύνθεσίς ἐστιν, ὥσπερ καὶ αὐτὸ δηλοῖ τοὔνομα, ποιά τις θέσις παρ᾽ ἄλληλα τῶν τοῦ λόγου μορίων· ἃ δὴ καὶ στοιχεῖά τινες τῆς λέξεως καλοῦσι.* Haec postrema ad Chrysippum auctorem spectant, nam quod partes orationis a quibusdam elementa, *στοιχεῖα*, nominabantur, a Chrysippo id initium duxisse verisimile est, quippe qui *στοιχεῖα* pro voce *μέρη* invenisse videatur. cf. Steinthal p. 290, qui testem profert Galen. de Plat. et Hipp. dogm. VII, 3. p. 232. Chart. Tota autem quaestio de partibus orationis, cum ad nostram commentationem hactenus tantum pertineat, quatenus eis conjunctis compositio efficitur, eo magis hic omittenda est, cum Dionysius ipse se hanc doctrinam a veteribus dudum traditam accepisse profiteatur. Accedit quod tales quaestiones grammaticas parvi facit, ita ut de partibus orationis nihil addat nisi: *πλὴν ἥ γε τῶν πρώτων, εἴτε τῶν τριῶν, ἢ τεττάρων* (ut Stoici volebant), *εἴθ᾽ ὅσων δή ποτε ὄντων μερῶν πλοκὴ καὶ παράθεσις, τὰ λεγόμενα ποιεῖ κῶλα* (p. 9.) Ne Quintiliani quidem tempore de hac re judicium constabat, ut ille Instit. orat. 1, 4, 18. tradit: „Tum videbit, ad quem hoc pertinet, quot et quae partes orationis, quanquam de numero parum convenit."

Non abs re esse videtur considerare, quaenam ratio Dionysium inter et Ciceronem in constituenda compositionis opera intercedat; nam cum graecorum rhetorum, qui ante Dionysium vixerunt, scripta de compositione injuria temporum deperdita sint, Ciceronis doctrina, quam e Graecis in usum linguae latinae translatam esse consentiunt, ad Dionysii merita illustranda aliquid confert. Grammati-

cam de syntaxi quam dicunt doctrinam prorsus hic excludi per se patet, nam hanc demum Apollonii Dyscoli studiis initium cepisse, et Dionysii disciplinam longe ab ea recedere constat (cf. Steinthal l. c. p. 685.) Cicero autem de orat. III., postquam de verborum usu et delectu singulorum disputavit, §§. 171—199, periodicam elocutionem, qualis esse debeat, ostendit; quae in Orat. inde a §. 149. de compositione docet, ad numerum orationis maxime pertinent. Ad tria illa quae orationem efficiunt, verba, membra, periodos, in Orat. haec accommodat praecepta de verborum collocatione: „ut aut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis eaque sint quam suavissimis vocibus (cf. de orat. III, 43, 172); aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum; aut ut comprehensio numerose et apte cadat.“ Idem §. 202: „partes — collocationis eae, quas diximus, compositio, concinnitas, numerus.“ Illa igitur collocatio est *σύνθεσις* Dionysii, compositionem autem Cicero §. 150. appellat constructionem, de orat. III, 171 collocationem, continuationem eam quae est *σύνθεσις*. Hoc autem postremo loco de collocatione haec habet: „Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et levis.“ Comprehensionem Orat. §. 204. ita circumscribit: „in toto circuitu illo orationis, quem Graeci *περίοδον*, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem aut continuationem aut circumscriptionem dicimus cett.“ Denique de orat. III, 171. 173. accuratius ostendit, quid in continuatione verborum velit inesse: hujus enim partes ponit collocationem, de qua paullo ante vidimus, et modum quendam formamque verborum, quae quid sit ex Ciceronis verbis apparet: „Versus enim veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est, numeros quosdam nobis esse adhibendos putaverunt. Interspirationis enim, non defatigationis nostrae neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt.“ Intelligit igitur orationem articulis membrisque et periodis distinctam, quae ut efficia-

tur, maxime numeros adhibendos esse censet. Cum hoc loco consentit ille Orat. §. 179, quem supra attulimus, consentit quoque Dionysius de comp. verb. c. 2. p. 9: *Ἔστι δὴ τῆς συνθέσεως ἔργα, οἰκείως θεῖναι τά τ' ὀνόματα παρ' ἄλληλα, καὶ τοῖς κώλοις ἀποδοῦναι τὴν προσήκουσαν ἁρμονίαν, καὶ ταῖς περιόδοις διαλαβεῖν αὐτὸν ὅλον τὸν λόγον.* Cf. de Thucyd. c. 22: ubi distincte tradit Dionysius, et de partibus dicendi, verborum delectu et compositione orationis partium, antea a multis disputatum esse, et de utriusque partibus, quas eodem modo quo Cicero de orat. III, 37, 149. 43, 171 distinguit: *ὅτι διαιρεῖται — ἡ μὲν ἐκλογὴ τῶν στοιχειωδῶν μορίων, ὀνοματικῶν λέγω καὶ ῥηματικῶν καὶ συνδετικῶν, εἴς τε τὴν κυρίαν φράσιν, καὶ εἰς τὴν τροπικήν· ἡ δὲ σύνθεσις εἴς τε τὰ κόμματα, καὶ τὰ κῶλα, καὶ τὰς περιόδους — εἴρηται πολλοῖς πρότερον.* Haec verba optima docent, Dionysium a Cicerone nihil de hac re derivasse, nec aliud quidquam eum ab oratore Romano sumsisse verisimile esse infra videbimus, quanquam literarum latinarum se gnarum esse ipse narrat Archaeol. rom. I, 7 *ἐγὼ καταπλεύσας εἰς Ἰταλίαν — διάλεκτόν τε τὴν Ῥωμαϊκὴν ἐκμαθὼν καὶ γραμμάτων τῶν ἐπιχωρίων λαβὼν ἐπιστήμην κ. τ. λ.* Illam autem compositionis definitionem Dionysiacam si respicimus, totum ejus ambitum minime a se expletum esse, quodam modo ipsum fugisse videtur: nam primam tantum partem, collocationem verborum, tractat, de membris hoc tantum disputat (capp. 7—9), quo modo justo verborum ordine, conformatione, mutatione (de his v. c. 7 in.) efficiantur atque compleantur, de pulchritudine vero membrorum et suavitate earumque efficiendarum arte, in qua summa operis versari debebat, nihil omnino profert, de periodis denique hoc tantum habet, eas quae praecedant easque quae sequantur sibi ipsis accommodandas apteque inter se collocandas esse, si quidem per periodos oratio efferatur oporteat; neque enim in omni sermone utilem esse dictionem periodicam, sed componendi peritorum

esse hoc quoque, quando usu venire debeant periodi quando non debeant, accurate respicere: c. 9. ex. [1]).

Sed quod Dionysius omnium qui praecesserunt doctrinas compositionis perparvi aestimat tantumque eas dicendi summum finem neglexisse judicat, quantum ex verbis ejus quae supra commemoravimus, apparet, novum quoddam consilium eum cepisse jure concluditur. Itaque quae ipse excogitaverit, statim exponit. Atque unum quidem in ratione positum est, quae verba naturali quodam ordine ac vinculo inter se conjungi velit, nimirum hoc modo, ut praecedant nomina, sequantur verba et adverbia, ut quae tempore et ordine priora sint, anteponantur, substantiva praecedant adjectivis, appellativa substantivis, pronomina appellativis; ut verborum tempora praesentia praeponantur derivatis, modi indicativi infinitivis (c. 5.) En hic videtur esse fons atque origo, unde id quod Quintilianus IX, 4. 24. 25 commemorat, ortum sit: „Illa nimia quorundam fuit observatio, ut vocabula verbis, verba rursus adverbiis, nomina appositis et pronominibus essent priora. — Nec non et illud nimiae superstitionis, uti quaeque sint tempore, ea facere etiam ordine priora, non quin frequenter sit hoc melius, sed quia interim plus valent ante gesta, ideoque levioribus superponenda sunt.“ His quae Quintilianus addit: „fit contra quoque frequenter non indecore“, ea quin Dionysius sibi vix incepto conatu objiceret fieri non poterat, ut c. 4. ex. testis est: *ἁψάμενος δέ τινων θεωρημάτων, καὶ δόξας ὁδῷ τινι τὸ πρᾶγμα χωρεῖν, ὡς ἔμαθον ἑτέρωσέ ποι ταύτην ἄγουσαν ἐμὲ τὴν ὁδόν, οὐχ ὅποι προὐθέμην καὶ ἀναγκαῖον ἦν ἐλθεῖν, ἀπέστην κτλ.*, et p. 38. *πάντα δὲ ταῦτα διασεσάλευκεν ἡ πεῖρα, καὶ τοῦ μηδενὸς ἄξια ἀπέφηνε.* Alterum quiddam sibi vindicat c. VI. in. p. 39: *Δοκεῖ μοι τῆς συνθετικῆς ἐπιστήμης τρία ἔργα εἶναι· ἓν μὲν ἰδεῖν, τί μετὰ τίνος ἁρμοττόμενον πέφυκε καλὴν καὶ ἡδεῖαν λήψεσθαι συζυγίαν· ἕτερον δὲ, γνῶναι τῶν ἁρμόττεσθαι μελ-*

---

[1]) Cf. Blass. Die Geschichte der griechischen Beredsamkeit in dem Zeitraume von Alexander bis auf Augustus. Berl. 1865, p. 198.

λόντων πρὸς ἄλληλα, πῶς ἂν ἕκαστον σχηματισθὲν κρείττονα φαίνεσθαι ποιήσειε τὴν ἁρμονίαν· τρίτον δ', εἴ τι δεῖται μετασκευῆς τῶν λαμβανομένων, ἀφαιρέσεως λέγω καὶ προσθήκης καὶ ἀλλοιώσεως, γνῶναί τε καὶ πρὸς τὴν μέλλουσαν χρείαν οἰκείως ἐξεργάσασθαι. Haec igitur tria illa sunt, quae a Dionysio *ἁρμογή* (cf. p. 44. 45), *σχηματισμός* (p. 45), *κατασκευή* vel *μετασκευή* (p. 44. 47) appellantur. Quae quomodo intelligi velit, imaginibus duabus, architecturae et navium fabricandarum artis, illustrat, quarum est singulas materias justo inter se ordine collocare, recte conformare, secundum utilitatem mutare. Idem compositionis esse uberius demonstrat, primum in verborum collocatione (c. 6), deinde in membrorum conformatione (capp. 7. 8. 9), de qua jam supra disputavimus. Sed investigandum est, quidnam novi protulerit Dionysius, quidve ex aliis sumsisse intellegatur. Ac Cicero quidem hac partitione, quae apud Dionysium fit, non utitur; nam quamquam de oratione ornanda accuratius disputat, tamen ubi de totorum enunciatorum periodorumque forma agit, hoc tantum oratori tractandum commendat, ut verba recte inter se collocet et modum etiam formamque verborum ornate instruat, vel, quod idem valet, orationem membris vel incisis et periodis distinguat numeroseque cadentem faciat, id quod supra exposuimus. Habet eum quoque, qui apud Dionysium est *ὁ σχηματισμὸς τῶν κώλων*, in figuris sententiarum et verborum perspicuus, vel ut Cicero ait, in luminibus sententiarum et verborum conformationibus (de orat. III, 52, 200—54, 208.) Sed quae apud Ciceronem verborum conformationes appellantur, non ejusdem generis sunt atque illi qui apud Dionysium nuncupantur *οἱ σχηματισμοὶ τῶν ὀνομάτων*, quippe qui in conformatione nominum, verborum, aliarumque orationis partium, i. e. in declinatione et conjugatione cernantur [1]), contra quid Cicero intellegi velit, optime docet his verbis: „Orationis ipsius tamquam armorum est vel ad usum comminatio et quasi repetitio vel ad venusta-

---

[1]) Cf. Dionys. de comp. verbb. c. 6. p. 41. 42.

tem ipsa tractatio," ad ornatum igitur adaptat Cicero verborum conformationes (v. de orat. III, 54, 206—208.) Itaque ex his quoque quae modo contulimus, perspicue apparet, Dionysium totam quandam compositionis imaginem in animo suo conformasse, Ciceronem vero ea tantum elegisse, quae oratori publico spectanda esse censuerit, illum grammaticae artis partem quandam in doctrinam suam recepisse, hunc totam omisisse.

Alius etiam respiciendus est, auctor ille qui dicitur ad Herennium, eo magis ille comparatione dignus, quod ex fontibus graecis ipsis hausit. Is ut compositionis artem in conspectu tam dilucido ponat quam Dionysius, tantum abest, ut in eis solis similitudo inter utrumque intercedat, quae de ordine et mutatione verborum, membrorum et periodorum ratione non habita, disputantur. Earum enim rerum, quas in elocutione „maxime admodum oratori accommodatas" inesse vult (IV, 12, 17), elegantiae, compositionis, dignitatis, prima illa ad verborum delectum maxime pertinet: „Elegantia est, quae facit, ut unum quodque pure et aperte dici videatur. Haec distribuitur in latinitatem et explanationem. Latinitas est, quae sermonem purum conservat, ab omni vitio remotum. — Explanatio est, quae reddit apertam et dilucidam orationem. Ea comparatur duabus rebus, usitatis verbis et propriis. Usitata sunt ea, quae versantur in sermone et consuetudine cotidiana, propria, quae ejus rei verba sunt aut esse possunt, qua de loquimur." Sed quae de vitiis sermonis disputat, ad id pertinent quod Dionysius appellat σχηματισμόν verborum: „Barbarismus est, cum verbum aliquod vitiose effertur. Haec qua ratione vitare possimus, in arte grammatica dilucide discemus." Quam altero loco ponit, compositio cum eis fere convenit, quas Dionysius nuncupat ἁρμογὴν et μετασκευὴν, id quod ex verbis ejus perspicitur: „Compositio est verborum constructio, quae facit omnes partes orationis aequabiliter perpolitas. Ea conservabitur, si fugiemus crebras vocalium concursiones, quae vastam atque hiantem orationem reddunt. — Et si vitabimus ejusdem literae ni-

miam adsiduitatem. — Et si ejusdem verbi adsiduitatem nimiam fugiemus. — Et si non utemur continenter similiter cadentibus verbis, — et si verborum transjectionem vitabimus, nisi quae erit concinna. — Item fugere oportet longam verborum continuationem, quae et auditoris aures et oratoris spiritum laedit." Tertiam denique, dignitatem, „quae reddit ornatam orationem, varietate distinguens, et in verborum et in sententiarum exornationem dividitur", a Dionysii quidem doctrina alienam non esse vides, sed figurarum tantum continet copiam, ad certum ordinem disciplinamque non adstrictam.

Transimus ad Graecos, qui quid ante Dionysium de compositione statuerint, nunc exquirendum est. Nullum autem extat opus ante Dionysium compositum, quod eo consilio quo ille doctrinam de structura orationis et poeticae et pedestris, comprehendat, ita ut hoc sufficere debeat explorare, ex singulis quibusque disciplinis quid petiverit Dionysius. Ac primum de rhetorum praeceptis, deinde de philosophorum et grammaticorum dicendum est. Rhetores vero ei, qui de inventione rhetorica subtilissime quaesiverunt sat multi, omittendi sunt, nimirum omnes qui ad Hermagorae praecepta artem accommodabant: de quibus omnibus id in universum valet, quod Cicero Brut. 263. de Hermagorae disciplina judicat [1]. Eorum qui de elocutionis aliqua parte scripserunt, unius Gorgiae minoris de figuris sententiarum et elocutionis libellus a Rutilio Lupo excerptus extat. De solis igitur figuris quae dicuntur orationis scriptum extat, quae exiguam tantum partem compositionis apud Dionysium efficiunt; quantum vero Gorgiae ingenium a Dionysii mente critica abhorruerit, id ipsum demonstrat, quod in numerum oratorum quos imitarentur dignorum

[1] L. c. „C. Licinius — probabilis orator, jam vero etiam probatus, ex hac *inopi ad ornandum*, sed *ad inveniendum expedita* Hermagorae disciplina. Ea dat rationes certas et praecepta dicendi; quae si *minorem habent apparatum*, sunt enim *exilia*, tamen habent ordinem et quasdam errare in dicendo non patientes vias." cf. 271.

praeter Atticos inferiores illos ac tumidae inanisque dictionis scriptores recepit, quos Dionysius quam maxime spernit: Hegesiam, Cleocharem, Myronem, Daphnida, Sosicratem, alios. Ac si accuratius tempora illa respicimus, rhetorem nullum extitisse, qui compositionis artem veterum scriptorum exemplis illustratam constitueret, prorsus consentaneum est. Nam cuncti ita diversas ingressi sunt vias, ut alii rhetoricam inventionem quam minutissime elaborarent, alii in declamationibus Asianum illud dicendi genus exercerent, ex quo accurata elocutionis doctrina oriri non poterat, alii Atticos quidem imitarentur, sed unum quendam ceteris neglectis quam accuratissime exprimerent, vere Atticae dictionis eum in modum illi ignari, ut vitia tantum exempli sibi propositi nimis prae se ferrent, id enim Dionysius et Cicero, maxime illi Thucydidis et Lysiae imitatores uterque opprimere conatus, variis locis tradunt. De Atticis vero universis qui non judicabant, de elocutione seu parte ejus praecepta ad summos auctores perfectissimamque artis humanae normam accommodata edere non poterant. Nam hoc quidem nemo negabit, Dionysii de compositione sententias in nulla alia re niti nisi in judicio ex optimis scriptoribus efficto, eorumque elocutione accurate perspecta, ita ut jure meritoque ex observationibus, quas in illos fecit, ejus doctrinam exstructam esse dicas.

Sed ne a grammaticis quidem in orationis structura multum elaboratum erat, nec de ratione aut conjunctione enuntiatorum praeter poetarum elocutionem disputatum. Nam quod nunc grammatici est, id illius temporis grammaticorum munus non fuisse, sed eos in scriptorum, praecipue poetarum, interpretatione et emendatione maxime studia collocasse notum est omnibus. Hoc igitur in aliam cadit partem, atque eam, qua Dionysius scriptorum veterum eorumque reliquiarum recensionem criticam exercuit. Illud cum eorum esset qui proprie grammatici dicebantur, alii legibus sermonis constituendis operam dabant. Quam bipartitionem Quintilianus I, 4, 2 ita exprimit: „Haec

igitur professio, cum brevissime in duas partes dividatur, recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem, plus habet in recessu quam fronte promittat. Nam et scribendi ratio conjuncta cum loquendo est, et enarrationem praecedit emendata lectio, et mixtum his omnibus judicium est: quo quidem ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso viderentur inscripti, tanquam subditos summovere familia permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint alios omnino exemerint numero.“ Haec ideo accuratius adposuimus, ut Alexandrinorum grammaticam in memoriam revocaremus. Hanc igitur Aristarchei per longam annorum seriem exercebant, cum et ipsis philosophorum, maxime Stoicorum, de sermonis fundamentis quaestiones amplectendae fuerunt. Unum extat duplicis illius grammaticae disciplinae specimen, ea Ars grammatica, quae Dionysio Thraci tribuitur. In qua non modo octo orationis partes, *ὄνομα, ῥῆμα, μετοχή, ἄρθρον, ἀντωνομία, πρόθεσις, ἐπίῤῥημα, σύνδεσμος*, quas ipsum Aristarchum discrevisse verisimile est (cf. Steinthal l. c. p. 570), ex philosophorum et grammaticorum disciplinis (nam utrique ad eas statuendas contulerant) conjunctae traduntur, et in eas dividuntur, quae flexione quam dicunt grammaticam mutantur, easque quae non mutantur, sed etiam critica ars in scriptoribus exercenda ut summa grammaticorum praemittitur. Quanquam quaenam grammatici illius Dionysii sint, quae non, ad liquidum nondum perductum est: cf. de hac Arte ejusque interpolationibus Schoemann in Prooem. Ind. lectt. Gryphiswald. 1841. M. Schmidt in Philol. VII, 360—382. VIII, 231—253. 510—520.

Atque haec quidem breviter disputata, quae longius extendi necesse non est, cum accuratius de grammaticae progressu Steinthal in libro saepius citato agat, et quod qui unus etiam restat Varro ad hanc partem nihil novi confert (plura de eo infra disserenda erunt), — haec igitur satis dmeonstrant, singula illa, quae Dionysius de comp. verb. c. 6. in tribus compositionis partibus ponit, ex diver-

sarum disciplinarum contracta expleta perpolita esse. Etenim quod primum ponit, respicere quid cum quo connexum pulchram soleat efficere et jucundam compositionem, ad verba orationis inter se componenda ita relatum: *σκοπεῖν, ποῖον ὄνομα ἢ ῥῆμα ἢ τῶν ἄλλων τι μορίων, ποίῳ συνταχθὲν ἐπιτηδείως ἔσται κείμενον, καὶ πῶς οὐκ ἄμεινον· οὐ γὰρ δὴ πάντα γε μετὰ πάντων τιθέμενα ὁμοίως πέφυκεν διατιθέναι τὰς ἀκοάς* (p. 40. 41), nimirum id a grammaticis poetarum elocutionem exquirentibus et a musicis, de quibus infra videbimus, accuratius observatum erat. Sed hoc ipsum vetustatem hujusmodi doctrinae docet, quod contrarius ille rectae ac praestanti verborum collocationi soloecismus ante Dionysium jam dudum taxatus erat: v. Aristot. Rhet. III, 5 *ἔτι δὲ ποιεῖ σολοικίζειν τὸ μὴ ἀποδιδόναι, ἐὰν μὴ ἐπιζευγνύῃς ἀμφοῖν ὃ ἁρμόττει*, postquam exposuit prava collocatione verborum orationem fieri obscuram; porro Auct. ad Herenn. IV, 12, 17. „Soloecismus est, cum in verbis pluribus consequens verbum superiori non accommodatur.“ De hac soloecismi notione cf. Dionys. de Thucyd. c. 37 *τοῦτο τὸ τελευταῖον εἴ τις ἐν τοῖς σχήμασιν ἀξιώσει φέρειν, οὐκ ἂν φθάνοι πάντας τοὺς σολοικισμούς, ὅσοι γίγνονται παρὰ τοὺς ἀριθμοὺς καὶ παρὰ τὰς πτώσεις, σχήματα καλῶν;* apud eum igitur fere idem est qui apud Auct. ad Herenn. barbarismus. cf. Quintil. I, 5, 41. Ernesti, Lexicon technologiae Graecorum rhetoricae s. v. Porro ex placitis de linguae legibus explicatur conformatio verborum (p. 41), ad quam explicandam hoc quaerendum ait, utrum numerus singularis an pluralis, casusne recti an obliqui, utrum genus masculinum an femininum an neutrum, in verbis rectane an supina usui sint commodiora, quae temporum differentiae, aliaque hujusmodi. Mutatio autem singulorum verborum ex observationibus quae in veteres scriptores factae erant, facile apparet quomodo a Dionysio in compositionem recipi potuerit; confirmant autem ipsius verba p. 42: *τοῦτο τὸ στοιχεῖον ἐν μὲν ποιητικῇ δαψιλεστερόν ἐστιν, ἐν δὲ λόγοις πεζοῖς σπανιώτερον γίγνεταί τε, καὶ ἐν τούτοις, ἐφ᾽ ὁπόσον ἂν ἐγχωρῇ.*

Haec tria etiam in membrorum compositione exercenda sunt, id quod, ut Dionysius docet, usus (*πεῖρα*) ipse explicabit. De structura autem membrorum c. 7 haec exponit: *καὶ ταῦτα ἁρμόσαι δεῖ πρὸς ἄλληλα, ὡς οἰκεῖα φαίνεσθαι καὶ φίλα. — πολλάκις γὰρ τουτὶ μὲν τὸ κῶλον τούτου προτεθέν, ἢ ἐπὶ τούτῳ τεθέν, εὐστομίαν τινὰ ἐμφαίνει καὶ σεμνότητα· ἑτέραν δέ τινα συζυγίαν λαβόν, ἄχαρι φαίνεται καὶ ἄσεμνον.* Huic et ipsi, ex analogia structurae verborum inventae, simile quiddam conferendum est apud Auct. ad Herenn. IV, 19, 26: „Membrum orationis appellatur res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione, quae denuo alio membro orationis excipitur. — Ex duobus membris suis haec exornatio potest constare; sed commodissima et absolutissima est, quae ex tribus constat;" quanquam haec non ad eandem sententiam redeunt ac Dionysii verba, tamen de membrorum accurato ordine ab utroque disputatur. Apertius etiam quae sequitur membrorum conformationem (c. 8.) antiquitus magnopere tractatam esse constat: in hac enim Dionysius ponit tritam illam ac notissimam figurarum, quae dicuntur, conformationem, de qua quidem hanc exponit sententiam: *οὐκ ἔστιν εἷς τρόπος τῆς ἐκφορᾶς τῶν νοημάτων, ἀλλὰ τὰ μὲν ὡς ἀποφαινόμενοι λέγομεν, τὰ δὲ ὡς διαποροῦντες, τὰ δὲ ὡς πυνθανόμενοι, τὰ δὲ ὡς εὐχόμενοι, τὰ δὲ ὡς ἐπιτάττοντες, τὰ δὲ ὡς ὑποτιθέμενοι, τὰ δ' ἄλλως πως σχηματίζοντες· οἷς ἀκολούθως καὶ τὴν λέξιν πειρώμεθα σχηματίζειν.* Figurarum doctrinam, quam notissimam esse significat, non modo peramplam, sed etiam difficilem tractatu esse ipse affirmat. Magni sit momenti explorare, quando et a quo certa ratione in orationem receptae sint. Quintilianus in praestantissimo illo et accurato de figuris loco lib. IX. ipsum Zoilum de figuris egisse testis est [1]). Sed multo ante de sententiarum quam de elocutionis figuris disputatum fuisse facile nobis persuademus. Primus, quod sciamus, Gorgias figuras elo-

---

1) IX, I, 14. cf. Phoebammon. schol. ad Alexandr. schem. ap. Spengel. Artt. scriptt. p. 180.

cutionis induxit [1]). Omissis omnibus illis de figuris scriptis hoc unum addere libet, Quintilianum IX, 3, 2. dua elocutionis figurarum genera statuere, alterum loquendi rationem vocari, alterum maxime collocatione exquisitum esse testantem: illud grammaticum, hoc rhetoricum mavult dicere. Prius illud a Dionysio considerari apparet. Accurate autem omnes figurae apud eum notiones describere eo magis hoc loco supersedemus, quod diligentissime eos collegit Weismannus in dissertatione de Dionysii Halic. vita et scriptis. Rintelii 1841. p. 37. Nunc de membrorum ornatu dicendum est; de quo Dionysius c. 9. in. haec judicat: *ὅτι καὶ μετασκευὰς δέχεται τῶν κώλων ἔνια, τοτὲ μὲν προσθήκας λαμβάνοντα, οὐκ ἀναγκαίας, ὡς πρὸς τὸν νοῦν, τοτὲ δ᾽ ἀφαιρέσεις ἀτελῆ ποιούσας τὴν διάνοιαν· ἃς οὐκ ἄλλου τινὸς ἕνεκα ποιοῦσι ποιηταί τε καὶ συγγραφεῖς, ἢ τῆς ἁρμονίας, ἵν᾽ ἡδεῖα καὶ καλὴ γένοιτο· πάνυ ὀλίγου δεῖν οἴομαι λόγου.* Simile vero judicium ante eum fertur (Aristot.) Rhet. III, 9., ubi de periodorum duobus generibus, eo quod membris constat et eo quod uno tenore effertur, sermone instituto, de membrorum et periodorum spatio haec praecipiuntnr: *δεῖ δὲ καὶ τὰ κῶλα καὶ τὰς περιόδους μήτε μυούρους εἶναι μήτε μακράς· τὸ μὲν γὰρ μικρὸν προσπταίειν πολλάκις ποιεῖ τὸν ἀκροατήν — τὰ δὲ μακρὰ ἀπολείπεσθαι ποιεῖ — αἵ τε λίαν βραχύκωλοι οὐ περίοδος γίνεται:* cf. Demetr. de elocut. 10. *ἔστι περίοδος σύστημα ἐκ κώλων ἢ κομμάτων εὐκαταστρόφων*, de cujus auctoris aetate quamquam parum constat, tamen quae nota sunt repetit. Dionysium autem illum apud Aristotelem locum praeter alios respexisse facile tibi persuadebis, si reputaveris, Aristotelis libros rhetoricos cum omnes, tum librum tertium manibus eum multum versasse [2]), Constat igitur, illum Rhet. lib. III, quanquam de Aristotele auctore Sauppius recte dubitat, ante Dionysium

---

[1]) cf. Philostr. Vitt. Sophist. I, 9. Frei in Mus. Rhenan. N. S. VII, 542. Cic. Orat. §. 175. Dionys. de Demosth. c. 5. ex.

[2]) cf. de compos. verbb. c. 25. p. 197, epist. I. ad Amm., ubi cap. 8. omnia verba ex Aristot. Rhet. III, 10. inde a *τῶν τε μεταφορῶν* usque ad *πειρᾶσθαι διδόναι* exscripsit.

scriptum esse, id quod vir cll. admonuit [1]). De periodis denique quanquam pauca Dionysius exponit, ut jam supra retulimus, tamen nonnulla adferenda videntur, quibus eluceat ante Ciceronem et Dionysium, et ante ipsum Aristotelem de earum structura satis quaesitum fuisse. Periodicam enim orationem primus Gorgias ad certas formas adstrinxisse videtur: Cic. Orat. 167. 175; eum nihil nisi ad periodum ligatum elocutum esse tradit Demetr. de elocut. 15. Atque ita quidem periodos instituit, ut aut membra quae dicuntur parallela enuntiaret (i. e. *λέξις διῃρημένη*) aut inter se opposita (*λέξις ἀντικειμένη*). Idem (Aristot.) Rhet. III, 9. de elocutione per membra enuntianda disputatur. Cf. Anaximen. Rhet. c. 24. *εἰς δύο ἑρμηνεύειν*. Itaque ante Thrasymachum periodica oratio inventa est, nam quod Suid. s. v. *Θρασύμαχος* tradit, eum periodum invenisse, ita intellegendum est, ut quod Gorgias invenit via ac ratione in artem redegisse dicatur: cf. Cic. Orat. §. 39, qui parum accurate primum et Thrasymachum et Gorgiam id egisse tradit, ut „verba verbis quasi dimensa et paria responderent, ut crebro conferrentur pugnantia compararenturque contraria et ut pariter extrema terminarentur eundemque referrent in cadendo sonum.“ Sed Cicerone ipso auctore haec tractasse utrumque primum non nisi traditum ferebant. Quod Gorgianam membrorum aequalitatem et oppositionem Thrasymachus ad saniorem rationem reduxit, ideo a Theophrasto in libr. *περὶ λέξεως* periodi inventor appellatus est. cf. Dionys. de Lys. c. 6. Thrasymachus idem primus nomen „periodi“ ad orationem pedestrem transtulit, antea in musica tantum arte adhibitum. De eo cf. etiam C. F. Hermann, De Thrasymacho Chalcedonio sophista, Ind. lectt. Gotting. 1848/9. Prooem. Spengel, Artt. scriptt. p. 93—98.

Venimus ad ea illustranda, quae Dionysius in compositione spectanda esse docet, voluptatem vel suavitatem et pulchritudinem (c. 10 in.). Hoc praeceptum a se primo datum esse non obscure ipse significat: *δοκεῖ μοι δύο*

---

1) Dionysios und Aristoteles. Gött. 1863, p. 33.

ταῦτα εἶναι τελικώτατα, ὧν ἐφίεσθαι δεῖ τοὺς συντιθέντας εὖ μέτρα τε καὶ λόγους, ἥ τε ἡδονὴ καὶ τὸ καλόν· — καὶ μὴ παράδοξον ἡγήσηταί τις, εἰ δύο ποιῶ τέλη, καὶ χωρίζω τὸ καλὸν ἀπὸ τῆς ἡδονῆς. Cap. 11. τὰς διαιρέσεις, ἃς ἐποιησάμην, τῆς θ' ἡδείας συνθέσεως καὶ τῆς καλῆς. Quid de suavitate cogitari velit, c. 11. in. accuratius docet: τάττω ὑπὸ μὲν τὴν ἡδονὴν τὴν ὥραν καὶ τὴν χάριν καὶ τὴν εὐστομίαν καὶ τὴν γλυκύτητα καὶ τὸ πιθανὸν καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, in pulchritudine ponit τὴν μεγαλοπρέπειαν καὶ τὸ βάρος καὶ τὴν σεμνολογίαν καὶ τὸ ἀξίωμα (delend.: καὶ τὸ πιθανόν), καὶ τὰ τούτοις ὅμοια. ταυτὶ γάρ μοι δοκεῖ, inquit, κυριώτατα εἶναι. Et suave quidem et pulchrum illud nasci censet Dionysius modulatione vocum, numero seu rhythmo, variatione, decentia, id quod et ipsum ex sua sententia esse significat c. 11. in.: ἐξ ὧν δὲ οἴομαι γενήσεσθαι λέξιν ἡδεῖαν καὶ καλήν κτλ. Id quia accuratius explicari debet, causam addit capp. 11. 12. Etenim modulatio numerus variatio decentia (μέλος, ῥυθμός, μεταβολή, πρέπον) ut audientibus grata sint, efficit literarum et syllabarum vis ac natura earumque justa collocatio [1]). — P. 96. omnia, quae antea demonstravit, sic comprehendit: τί δὴ τὸ κεφάλαιόν ἐστί μοι τοῦ λόγου; ὅτι παρὰ μὲν τὰς τῶν γραμμάτων συμπλοκὰς ἡ τῶν συλλαβῶν γίνεται σύνθεσις ποικίλη, παρὰ δὲ τὰς τῶν συλλαβῶν συνθέσεις ἡ τῶν ὀνομάτων φύσις παντοδαπή, παρὰ δὲ τὰς τῶν ὀνομάτων ἁρμονίας πολύμορφος ὁ λόγος γίνεται· ὥστε πολλὴ ἀνάγκη, καλὴν μὲν εἶναι λέξιν, ἐν ᾗ καλά ἐστιν ὀνόματα, καλῶν δ' ἁρμονιῶν συλλαβάς τε καὶ γράμματα καλὰ αἴτια εἶναι, ἡδεῖάν τε διάλεκτον ἐκ τῶν ἡδυνόντων τὴν ἀκοὴν γίνεσθαι. Sentiendo igitur cum pulchra et suavis oratio percipiatur, id primum respiciendum esse censet. Quod cum Stoici neglexerint, Dionysius p. 31. de eis hoc fert judicium: πολλοί, ἢ

---

1) c. 12. γλυκαίνουσί τινες αὐτὴν ἦχοι καὶ πικραίνουσι· καὶ τραχύνουσι καὶ λεαίνουσι, καὶ πολλὰ ἄλλα πάθη ποιοῦσι περὶ αὐτήν· αἴτια δὲ ἥ τε τῶν γραμμάτων φύσις, ἐξ ὧν ἡ φωνὴ συνέστηκε, πολλὰς καὶ διαφόρους ἔχουσα δυνάμεις, καὶ ἡ τῶν συλλαβῶν πλοκὴ παντοδαπῶς σχηματιζομένη.

μᾶλλον πάντες, ἀπὸ τῆς ἀληθείας ἀπεπλανήθησαν καὶ οὐδ᾽ ὄναρ εἶδον, τί ποτ᾽ ἐστὶ τὸ ποιοῦν ἡδεῖαν καὶ καλὴν τὴν σύνθεσιν. Aliis etiam locis plurimis ad audiendum compositionis virtutes referri statuit [1]). Illud *αἴσθησις* Dionysiacum cum legerit, quis est qui non statim de Aristoxeno cogitet? Qui eodem modo Harm. elem. I, p. 32. Meib. musicis paene principii loco habendam esse dicit *τῆς αἰσθήσεως ἀκρίβειαν*, ad quam quaecumque in musica sunt, referuntur omnia (I, p. 43. cf. p. 9.): *τῷ μουσικῷ σχεδόν ἐστιν ἀρχῆς ἔχουσα τάξιν ἡ τῆς αἰσθήσεως ἀκρίβεια.* Hanc autem sententiam Aristoxenei ut fundamentum artis musicae acerrime contra adversarios, Pythagoraeos dico, defendebant, qui in ratione una, *λόγῳ*, musicam niti volebant [2]). Quodsi plane ex Ariostoxeni sententia sensum suavis compositionis judicem facit, eo magis apparet Dionysium orationem ad artis musicae praecepta accommodare eorumque ad vim redigere, ex his verbis p. 57., quae de musicae virtutibus locutus facit: *οὐκ ἀλλοτρίᾳ κέχρημαι τοῦ πράγματος εἰκόνι· μουσική γάρ τις ἦν καὶ ἡ τῶν πολιτικῶν λόγων ἐπιστήμη, τῷ ποσῷ διαλλάττουσα τῆς ἐν ᾠδαῖς καὶ ὀργάνοις, οὐχὶ τῷ ποιῷ· καὶ γὰρ ἐν ταύτῃ καὶ μέλος ἔχουσιν αἱ λέξεις, καὶ ῥυθμὸν καὶ μεταβολὴν καὶ πρέπον· ὥστε καὶ ἐπὶ ταύτης ἡ ἀκοὴ τέρπεται μὲν τοῖς μέλεσιν, ἄγεται δὲ τοῖς ῥυθμοῖς, ἀσπάζεται δὲ τὰς μεταβολάς, ποθεῖ δ᾽ ἐπὶ πάντων τὸ οἰκεῖον· ἡ δὲ διαλλαγὴ κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον.* Similem inter musicam et orationem pedestrem rationem ipse Aristoxenus Elem. harm. I, p. 3. Meib. statuit: *πρῶτον* —

---

1) p. 41. *οὐ πάντα γε μετὰ πάντων τιθέμενα ὁμοίως πέφυκε διατιθέναι τὰς ἀκοάς.* p. 48. *βραχύτερον τοῦ δέοντος ὂν καὶ οὐχ ἡδὺ ἀκουσθῆναι, τῇ προσθήκῃ ταύτῃ γεγένηται χαριέστερον*, p. 55. *ἔφην, τὴν ἀκοὴν ἥδεσθαι πρῶτον μὲν τοῖς μέλεσιν, ἔπειτα τοῖς ῥυθμοῖς κτλ.*, p. 68. *ταῦτ᾽ οἴομαι χρῆναι φυλάττειν ἐν τῇ συνθέσει τὸν μέλλοντα διαθήσειν τὴν ἀκοὴν ἡδέως· τὰ εὐμελῆ καὶ εὔρυθμα καὶ εὔφωνα ὀνόματα, ὑφ᾽ ὧν γλυκαίνεταί τε καὶ μαλάττεται, καὶ τὸ ὅλον οἰκείως διατίθεται ἡ αἴσθησις, ταῦτ᾽ ἀλλήλοις συναρμόττειν.*

2) Westphal, Griech. Harmonik p. 236.

τὴν τῆς φωνῆς κίνησιν διοριστέον τῷ μέλλοντι πραγματεύεσθαι περὶ μέλους, αὐτὴν κατὰ τὸν τόπον. Οὐ γὰρ εἷς τρόπος αὐτῆς ὢν τυγχάνει. Κινεῖται μὲν γάρ, καὶ διαλεγομένων ἡμῶν καὶ μελῳδούντων, τὴν εἰρημένην κίνησιν. Ὀξὺ γὰρ καὶ βαρὺ δῆλον ὡς ἐν ἀμφοτέροις τούτοις ἐστίν, ἀλλ' οὐ ταὐτὸ εἶδος τῆς κινήσεως ἑκατέρας ἐστίν. Dionysius autem praeter Aristoxeni auctoritatem etiam artis musicae in theatris exercitationem pro sua doctrina facere existimat: etenim illam εὐμέλειαν et εὐρυθμίαν, quas Aristoxenei unicuique insitas esse statuebant, se ipsum saepe expertum esse dicit. Cicero quoque, qui cum Dionysio consentiens in numeris et vocibus ornatum orationis positum esse censet [1]), et ipse rudem sensum de musicis et virtutibus et vitiis judicare, et ut de omnibus brevitatibus et longitudinibus metricis, ita de acutis gravibusque vocibus judicium ab ipsa natura in auribus nostris collocatum esse exponit [2]). Ac Cicero quidem, quanquam arti harmonicae aut rhythmicae operam non dedit, tamen unde his gravissimum momentum ad orationis compositionem tributum sit, de orat. III, 44, 173. 174. uberius tradit [3]). Nihil igitur novi orationi intrusit Dionysius, quod ex arte harmonica et rhythmica ejus suavitatem et pulchritudinem deduci statuit, id quod eo minus miros nos habet, quod in Graecis omnibus naturalis quidam artium musicarum intellectus inerat, contra Cicero, Quinti-

---

1) Orat. 49, 162. „quia rerum verborumque judicium prudentiae est, vocum autem et numerorum aures sunt judices, et quod illa ad intellegentiam referuntur, haec ad voluptatem: in illis ratio invenit, in his sensus artem. — Duae sunt igitur res, quae permulceant aures, sonus et numerus. — Verba enim, ut supra diximus, legenda sunt potissimum bene sonantia cett.

2) Orat. 51, 173. De orat. III, 50, 195—51, 197. Parad. 3, 2, 26.

3) L. c. „Versus veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est, numeros quosdam nobis esse adhibendos putaverunt. Interspirationis enim, non defatigationis nostrae neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt, idque princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem delectationis atque

tianus, alii latini rhetores, ab eo alieni, sententias suas musicas ex Graecis desumta tradebant. Itaque a Dionysio quaedam nobis tradita sunt, quae eum diligentius illis studiis se dedidisse comprobant. Is enim unus, quod sciamus, docet in oratione quotidiana nec ultra diapente quod dicitur efferri nec infra subsistere vocum modulationem. Nimirum notissima haec sententia fuisse existimanda est, quanquam, qui primus eam statuerit, nos quidem explorare non possumus. Aristoxenum de intervallis in modulatione obtinendis accuratius egisse significant ea verba Elem. harmon. I, 3. quae supra ad rationem inter orationem et artem musicam demonstrandam commemoravimus; notanda etiam ea sunt, quae illo loco addit: *ἐπιμελῶς δ' οὐδενὶ πώποτε γεγένηται περὶ τούτου διορίσαι, τίς ἑκατέρας αὐτῶν διαφορά· καίτοι τούτου μὴ διορισθέντος, οὐ πάνυ ῥάδιον εἰπεῖν περὶ φθόγγου, τί ποτέ ἐστιν.* Accedit quod fines quosdam esse docet, intra quos vox efferatur, quosque egredi non liceat [1]). Causam vero in hoc inesse dicit: *διοριστέον οὖν ἑκάτερον αὐτῶν, πρὸς δύο ποιουμένους τὴν ἀναφοράν, πρός τε τὸ φθεγγόμενον καὶ τὸ κρῖνον· ταῦτα δέ ἐστιν ἥ τε φωνὴ καὶ ἡ ἀκοή* (cf. p. 33.), *ὃ γὰρ ἀδυνατοῦσιν αὗται, ἡ μὲν ποιεῖν, ἡ δὲ κρίνειν, ταῦτ' ἔξωθεν τεθέον τοῦ τε χρησίμου καὶ δυνατῆς ἐν φωνῇ γενέσθαι διατάσεως.* Qui vero sint illi fines, ibid. p. 20. declarat [2]). Sic cum Aristoxenus harmonices

---

aurium causa — numeris astringeret. Namque haec duo musici, qui erant quondam eidem poetae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero et vocum modo delectatione vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico moderationem et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati posset, a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt."

1) Ibid. p. 14. *ἁπάσης φωνῆς ὀργανικῆς τε καὶ ἀνθρωπικῆς ὡρισμένος ἐστί τις τόνος, ὃν διεξέρχεται μελῳδοῦσα, ὅ τε μέγιστος καὶ ὁ ἐλάχιστος· οὔτε γὰρ ἐπὶ τὸ μέγα δύναται ἡ φωνὴ εἰς ἄπειρον αὔξειν τὴν τοῦ βαρέος τε καὶ τοῦ ὀξέος διάβασιν, οὔτε ἐπὶ τὸ μικρὸν συνάγειν, ἀλλ' ἵσταταί που ἐφ' ἑκάτερα.*

2) L. c. *Οὕτω μὲν οὖν οὐκ ἔοικεν εἶναί τι μέγιστον σύμφωνον διάστημα, κατὰ μέντοι τὴν ἡμετέραν χρῆσιν — λέγω δ' ἡμετέραν, τήν*

leges ad solutam orationem extenderit, non dubium videtur, quin auctor fuerit et Dionysio et omnibus, qui ad musices leges sermonem distinxerunt. Etiam illa de comp. verbb. p. 64. Dionysii studium in arte musica collocatum ostendunt, quae de temporum rhythmicorum in pedestri oratione et in musicis operibus discrimine refert: *ἡ πεζὴ λέξις οὐδενὸς οὔτ᾽ ὀνόματος, οὔτε ῥήματος, βιάζεται τοὺς χρόνους, οὐδὲ μετατίθησιν· ἀλλ᾽ οἵας παρείληφε τῇ φύσει τὰς συλλαβὰς τάς τε μακρὰς καὶ τὰς βραχείας, τοιαύτας φυλάττει· ἡ δὲ ῥυθμικὴ καὶ μουσικὴ μεταβάλλουσιν αὐτὰς μειοῦσαι καὶ αὔξουσαι, ὥστε πολλάκις εἰς τἀναντία μεταχωρεῖν.* Sic igitur a Dionysio modulatio et numerus prorsus in compositionem inducta sunt, eodem fere illa commodo, quo ab Aristoxeno in musicam artem; cf. Quintil. I, 10, 22: Vocis rationem Aristoxenus musicus dividit in *ῥυθμὸν* et *μέλος ἔμμετρον.* Quorum alterum modulatione, canore alterum ac sonis constat." Sed repeti necesse non est, quae ab hominibus doctis de Aristoxeno explorata sunt.

Jam videamus, quid de Dionysii de literarum et syllabarum indole sententia judicandum sit, quarum sonis aures suaviter affici ait. Atque eo quidem, quod sententiam suam esse non innuit, cum non his verbis: *δοκεῖ μοι* et similibus eam inferat, aliorum doctrinam repeti ostendit. Quae autem cap. 14. de literarum partitione dicit, ex parte apud ipsum Platonem in Cratylo disputantur, ex parte Aristoxeni sunt, ut diserte declarat [1]). Quae quidem ut metrici scripti partem Westphal Fragm. der griech. Rhythm. p. 11. ex Aristoxeni opere, qnod erat *συμμικτὰ συμποτικά*, hausta esse putat; de quo cl. Athen. XIV, 638 a. Quaestio-

---

τε διὰ τῆς ἀνθρώπου φωνῆς γινομένην, καὶ τὴν διὰ τῶν ὀργάνων — φαίνεταί τι μέγιστον εἶναι τῶν συμφώνων· τοῦτο δ᾽ ἔστι τὸ διὰ πέντε, καὶ τὸ δὶς διὰ πασῶν.

1) L. c. *τῶν στοιχείων τε καὶ γραμμάτων οὐ μία πάντων φύσις, διαφοραὶ δ᾽ αὐτῶν· πρώτη μέν, ὡς Ἀριστόξενος ὁ μουσικὸς ἀποφαίνεται, καθ᾽ ἣν τὰ μὲν φωνὰς ἀποτελεῖ, τὰ δὲ ψόφους — θάτερα δὲ ἡμίφωνα.*

nes de literis et syllabis ad metricos pertinere et consentaneum est et ab Aristotele Poet. 20. confirmatur: *περὶ ὧν καϑ' ἕκαστον ἐν τοῖς μετρικοῖς προσήκει ϑεωρεῖν.* Scimus etiam Aristoxenum grammaticam pro parte musicae habuisse [1]). Definitio vero literarum, quam Dionysius profert: *Ἀρχαὶ τῆς ἀνϑρωπίνης καὶ ἐνάρϑρου φωνῆς, αἱ μηκέτι δεχόμεναι διαίρεσιν, ἃς καλοῦμεν στοιχεῖα καὶ γράμματα· γράμματα μέν, ὅτι γραμμαῖς τισι σημαίνεται· στοιχεῖα δέ, ὅτι πᾶσα φωνὴ τὴν γένεσιν ἐκ τούτων λαμβάνει πρῶτον, καὶ τὴν διάλυσιν εἰς ταῦτα ποιεῖται τελευταίαν,* haec ex philosophorum placitis perdiu nota erat, ac vix est cur id moneam. Dionysius quidem hunc potissimum locum respexisse videtur: Aristot. Poet. c. 20. *στοιχεῖον μὲν οὖν ἐστὶ φωνὴ ἀδιαίρετος, οὐ πᾶσα δέ, ἀλλ' ἐξ ἧς πέφυκε συνετὴ γίγνεσϑαι φωνή· καὶ γὰρ τῶν ϑηρίων εἰσὶν ἀδιαίρετοι φωναί, ὧν οὐδὲ μίαν λέγω στοιχεῖον,* nempe quia in syllabas vocesque comprehendi non possunt. Cf. Steinthal l. c. p. 552. De partitione ac numero literarum uberius disputare opus non est: de his enim a philosophis [2]) et a grammaticis, Aristarcheis (de quorum uno, Dionysio Thraci supra quod huc pertinet, disputatum est), denique a Varrone in libro de grammatica [3]) satis superque disceptatum erat, sed ne ita quidem inter omnes de numero literarum constitisse ex eo apparet, quod Dionysius se negat plus XXIV literas supponere. Maximo vero est momento, quod sonos singularum literarum accuratius describit, atque ita quidem, ut indicet, qua quaeque oris parte pronuncietur, indeque qualis efficiatur sonus: cap. 14. p. 74—85. De qua re ex grammaticorum reliquiis in Dionysii Thracis Arte Grammatica nihil traditum est,

---

[1]) Quintil. I, 10, 17. „Archytas atque Aristoxenus etiam subjectam grammaticen musicae putaverunt, et eosdem utriusque rei praeceptores fuisse cum Sophron ostendit — tum Eupolis cett.“ cf. Schol. ad Hermog. VII, 965. W. Westphal l. c. p. 41.

[2]) cf. Aristot. Poet. c. 20. Plat. Cratyl. p. 424 c. Phileb. 18 b. c. Theaetet. 203 b. Steinthal l. c. p. 125, qui docet quamdiu ante ipsum Platonem de ea re convenerit.

[3]) cf. Wilmanns, De M. Varronis libris grammaticis, p. 108.

sed Aristoteles in loco supra allato: *περὶ ὧν καθ' ἕκαστον ἐν τοῖς μετρικοῖς προσήκει θεωρεῖν* (Poet. c. 20.), disputatum fuisse ostendit de hisce rebus, quas ita paullo ante significat: *ἔστι δὲ φωνῆεν μὲν ἄνευ προσβολῆς ἔχον φωνὴν ἀκουστήν, οἷον τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἡμίφωνον δὲ τὸ μετὰ προσβολῆς ἔχον φωνὴν ἀκουστήν, οἷον τὸ Σ καὶ τὸ Ρ, ἄφωνον δὲ τὸ μετὰ προσβολῆς καθ' αὑτὸ μὲν οὐδεμίαν ἔχον φωνήν, μετὰ δὲ τῶν ἐχόντων τινὰ φωνὴν γινόμενον ἀκουστόν, οἷον τὸ Γ καὶ τὸ Δ. ταῦτα δὲ διαφέρει σχήμασί τε τοῦ στόματος καὶ τόποις καὶ δασύτητι καὶ ψιλότητι καὶ μήκει καὶ βραχύτητι, ἔτι δὲ ὀξύτητι καὶ βαρύτητι καὶ τῷ μέσῳ.* Hic igitur *προσβολή* illud linguae adversus aliam quandam oris partem pulsationem significat. Illud cap. 20. Poeticae sive Aristotelis est sive non est, hoc saltem apparet, de ratione qua literae pronuntiarentur, ante Dionysium diversas sententias prolatas esse. Aristoteles revera de literis se quaesivisse Hist. anim. IV, 9. comprobat: *τὰ μὲν οὖν φωνήεντα ἡ φωνὴ καὶ ὁ λάρυγξ ἀφίησιν, τὰ δ' ἄφωνα ἡ γλῶττα καὶ τὰ χείλη.* Ex vetere fonte Aristides Quintilianus De musica II, p. 92. Meib. praeter alia haec hausisse videtur: *καθόλου τὰ μὲν ἐς μῆκος βροντᾷ (?) τὸ στόμα, σεμνοτέρους τε τοὺς ἤχους καὶ ἀῤῥενοπρεπεῖς· τὰ δ' ἐς πλάτος διαιροῦντα, καὶ τὰς ἐκφωνήσεις ἥττους τε καὶ θηλυτέρας ἔχει.* Sed ante Aristotelem Plato Cratyl. 426 c. de literarum sonis rerum naturam imitantibus loquitur. Antea autem Pythagoraei de literarum natura quaesiverant (Davis. ad Cic. Tuscul. I, 25.), eos secuti sunt sophistae, ut ex Plat. Cratyl. apparet; hinc etiam derivanda videntur, quae Aristid. Quintil. lib. II, 88. disputat. V. v. Leutsch, Grundriss der griech. Metrik, p. 104. cl. §§. 61. 105; idem ostendit, metricos de indole atque historia literarum et natura syllabarum in operum proemiis certe inde ab Heliodori aetate egisse (Philol. XI, 741.); sed de hac nihil constare dolendum est, quippe de qua homines docti in diversas partes dissentiant.

Ex literis efficiuntur syllabae. De earum brevitate ac longitudine apud Dionysium Thracem (p. 632. 633. Bekk.) eadem fere inveniuntur quae apud Dionysium Halicarn. comp.

verbb. c. 15. Sed apud hunc accedit id, quod de brevitatis et longitudinis syllabarum varietate disserit c. 15. p. 85: *μήκους καὶ βραχύτητος συλλαβῶν οὐ μία φύσις, ἀλλὰ καὶ μακρότεραί τινές εἰσι τῶν μακρῶν, καὶ βραχύτεραι τῶν βραχειῶν*, quod ita intelligendum est: non eandem quantitatem syllabas retinere, sed longiores brevioresve fieri additis vel detractis consonantibus. Hoc etiam Quintilianus IX, 4, 84. tradit: „Sit in hoc quoque aliquid fortasse momenti, quod et longis longiores et brevibus sunt breviores syllabae; ut, quamvis neque plus duobus temporibus neque uno minus habere videantur, ideoque in metris omnes breves longaeque inter sese sint pares, lateat tamen nescio quid, quod supersit aut desit. Nam versuum propria condicio est, ideoque in his quaedam etiam communes.“ De qua re, a musicis summo studio contra metricos defensa, ne uberius ea proferamus, quae homines docti rei metricae Graecorum peritissimi ad liquidum perduxerunt, conferenda sunt quae a Westphalio Fragmm. der griech. Rhythm. p. 245 sqq. Rossbach. et Westph. Metrik der Griech. Vol. I. 2. Aufl. p. 518 cett. exponuntur; ex quibus locis apparet, quanti Dionysii sententiae ex rhythmicis i. e. Aristoxeneis, petitae prae metricorum Alexandrinorum erroribus aestimandae sint. Inde etiam ille locus lucem accipit, de quo supra consulto tacuimus: c. 11. *ἡ πεζὴ λέξις οὐδενὸς οὔτ' ὀνόματος οὔτε ῥήματος βιάζεται τοὺς χρόνους οὐδὲ μετατίθησιν, ἀλλ' οἵας παρείληφε τῇ φύσει τὰς συλλαβάς τάς τε μακρὰς καὶ τὰς βραχείας, τοιαύτας φυλάττει· ἡ δὲ ῥυθμικὴ καὶ μουσικὴ μεταβάλλουσιν αὐτὰς κτλ.*

Ne id quidem explicationem requirere puto, quod Dionysius c. 16. censet, ad rem propositam quasi imitationis ratione describendam syllabarum naturam maximo esse momento, et apud optimos poetas ac prosarios ea verba usurpari, quae rem maxime imitentur (*ὅσα μιμητικώτατα τῶν πραγμάτων ἐστίν*); nam ipse declarat non primum de hac re se disputare, sed cum multos antea tum Platonem in Cratylo dialogo id fecisse; de quo qui huc pertinet locum attulimus.

Consideratis igitur literis et syllabis, unde verba efficiuntur, p. 96. disputationem eo redire consentaneum est, quod comprobare Dionysius sibi proposuit, eam elocutionem esse pulchram, quae ex verbis gravibus ac dignitate plenis constet, et ex eis verbis sermonem suavem evadere, quae suavitate aures perfundant. Hoc igitur discrimen in duobus illis dicendi generibus perspicuum est, quae Dionysius capp. 22. 23. describit, in gravi et tenui vel polito floridoque; quibus tertium, altero cum altero conjuncto, accedit cap. 24. Redit igitur eo disputatio, quod ipse Auctor ad Herenn. Graecorum doctrina adhibita IV, 8, 11. statuit: „Sunt igitur tria genera, quae genera nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur; unam gravem, alteram mediocrem, tertiam attenuatam vocamus. Gravis est, quae constat ex *verborum gravium laevi et ornata constructione*. Mediocris est, quae constat ex humiliore neque tamen ex infima et pervulgatissima dignitate. Attenuata est, quae demissa est usque ad usitatissimam puri consuetudinem sermonis.“ Attamen accuratius inspicientem non fugiet, hoc inter utrumque interesse, ut Dionysius dicendi genera ex artis harmonicae legibus potius distinguat, ille contra, sicut Cicero, dignitatem quae in verbis inest consideret.

Jam igitur ad numerum orationis transeamus. Dionysius cap. 17 in. hinc proficiscitur: *Πᾶν ὄνομα καὶ ῥῆμα καὶ ἄλλο μόριον λέξεως, ὅ τι μὴ μονοσύλλαβόν ἐστιν, ἐν ῥυθμῷ τινι λέγεται.* Quod ad numeri doctrinam ante Dionysium inventam pertinet, paucis comprehendamus. Constat enim veteres rhetores numerum orationis pedestris exquisivisse, Thrasymachum eum invenisse Cicero tradit, sed nihil de eo amplius [1]). Dionysius autem quod addit: *τὸ αὐτὸ καλῶ πόδα καὶ ῥυθμόν*, non sine causa illud quidem facit: nam si Aristoxenum proxime sequi voluisset, de pede tantum cogitare poterat, cum ille rhythmum seriem pedum

---

[1]) cf. C. F. Hermann. l. c. Cic. Orat. 52, 175. Quintil. IX, 4, 45 sqq. Aristot. rhet. III, 8.

esse statuerit, sed metrici eum pro uno pede posuerint. Ita posteri quoque, ut Aristides Quintilianus, vocem ῥυθμός modo pro rhythmo Aristoxenico, modo pro pede metrico, posuerunt. Dionysio quae ratio cum metricis et grammaticis in numeri disciplina fuerit, uberius exponendum est. Pedes metricos ad artem grammaticam accommodat, non enim temporum spatio eos metitur, ut Aristoxenus, sed syllabarum numero: contra ille nec pedem nec syllabam metrum esse vocandum censuit, sed tempus [1]). Sic etiam Pyrrhichium inter pedes metricos refert, quod Aristoxenus nunquam. Inde apparet, Dionysium non rhythmicam scientiam artis metricae fontem duxisse, sed eorum doctrinam secutum esse, qui metricas leges a rhythmicis disjunctas pro parte grammaticae habebant, eos dico, qui οἱ χωρίζοντες audiebant: quam ob rem illi metrici, quos adfert, grammatici intellegendi sunt. Quorum praestantissimus fuit Varro, aetate primus fuisse videtur Ptolemaeus Ascalonites, Aristarchi discipulus [2]), qui in opere quod erat περὶ μέτρων artem metricam, ceterarum artium musicarum ratione non habita, tractavit. Varro autem ejus doctrina e graecis scriptis accepta praecipue in opere de sermone latino lib. IV. [3]) et in disciplinarum libris de arte metrica exposuerat. Sed quae ex ejus scriptis servata sunt, ad quaestionem de virtutibus pedum singulorum nihil pertinent, quid? quod de singulis versuum generibus certae ejus sententiae non extant, cum nihil fere de metris dactylicis, pauca de jambicis tradita sint (Wilmanns l. c. p. 69.) In illo opere de sermone latino Varronem etiam de solutae orationis numeris egisse putat Wilmanns p. 72, quod eum fecisse ex argumenti similitudine verisimile sit, sed certa aut manifesta testimonia reperiri negat; nam illud evincitur ex eo loco, quem adfert Rufin. de metr. orat. p. 2720. P.: „Victorinus multa dicit de

---

[1]) cf. Westphal, Fragmm. d. gr. Rh. p. 92.

[2]) cf. Suid. s. v. Steph. Byz. s. v. Ἀσκαλών.

[3]) cf. Wilmanns, De M. Terent. Varronis libris grammatt. p. 64 sqq.

compositione et numeris et pedibus oratoriis. Ut Cicero dicit, isti scripserunt apud Graecos: Thrasymachus, Naucrates, Gorgias, Ephorus, Isocrates, Theodectes, Aristoteles, Theodorus Byzantius, Theophrastus. Latine de numeris hi: Cicero, Victorinus, Eusebius, Terentianus, *Varro*, Probus, Charisius, Diomedes, Quintilianus, Donatus, Victor, Servius.“ Varro autem ab eis abhorret, qui dicebantur *οἱ συμπλέκοντες* (sc. *τῇ μετρικῇ θεωρίᾳ τὴν περὶ τῶν ῥυθμῶν*). Quorum primus videtur Heliodorus fuisse, quanquam et ipse in multis rebus cum ea disciplina consentit, quam Ptolemaeus et Varro excoluerunt; sed cum illud tempus brevissimum (*χρόνον πρῶτον*) Aristoxeni bene teneat, inter rhythmicos referendus est. Illud discrimen ad ipsa pedum metricorum nomina pertinuisse intellegimus, sicut Juba Heliodoro auctore usus Bacchium pedem hunc appellat: ∪ — —, Dionysius contra illum: — — ∪, et sic in vicem Palimbacchium diversum uterque intellegit. Quae cum ita sint, Heliodori doctrinam nihil ad Dionysii sententias valuisse puto, ut taceam de ejus aetate hominum doctorum sententias inter se discrepare. Videamus quid de singulorum pedum indole Dionysius judicet; ac de pyrrhichio quidem haec: *οὔτε μεγαλοπρεπής ἐστιν οὔτε σεμνός* de spondeo: *ἀξίωμα ἔχει μέγα καὶ σεμνότητα πολλήν*, de jambo: *οὐκ ἐστὶν ἀγενής*, de trochaeo: *μαλακώτερος τοῦ ἰάμβου καὶ ἀγενέστερος*. Sequuntur pedes trisyllabi: tribrachys dicitur esse *ταπεινός τε καὶ ἄσεμνος καὶ ἀγενής*, molossus *ὑψηλός τε καὶ ἀξιωματικός καὶ διαβεβηκὼς ὡς ἐπὶ πολύ*, amphibrachys: *διακέκλασταί τε καὶ πολὺ τὸ θῆλυ καὶ ἀγενὲς ἔχει*, anapaestus: *σεμνότητα ἔχει πολλήν, καὶ ἔνθα δεῖ μέγεθος περιθεῖναι τοῖς πράγμασιν ἢ πάθος, ἐπιτήδειός ἐστι παραλαμβάνεσθαι*, dactylus: *πάνυ ἐστὶ σεμνὸς καὶ εἰς κάλλος ἁρμονίας ἀξιολο γώτατος*, creticus: *ἔστιν οὐκ ἀγενής*, bacchius (— — ∪) *ἀνδρώδης καὶ εἰς σεμνολογίαν ἐπιτήδειος*, hypobacchius (∪ — —): *ἀξίωμα ἔχει καὶ μέγεθος*. Quae vero de dactylo dicuntur (Aristot.) Rhet. III, 8., ad ea Dionysius sua accommodasse videtur: *ὁ ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικῆς ἁρμονίας δεόμενος*. De jambo quoque consentiunt fere, nam quod

apud Dionysium legitur: *οὐκ ἐστὶν ἀγενής*, hoc vult ut Schaeferus ad h. l. recte animadvertit: „Jambus est pes, non ille quidem admodum *εὐγενὴς*, sed tamen non *ἀγενὴς*, certe *εὐγενέστερος τροχαίου*. Falliter enim Uptonus interpretans, tanquam per *λιτότητα* dictum, pedem in primis generosum.“ Illud igitur scribendum est cum codd. Reg. I. et Colb., non *οὐκ ἔστιν οὐκ ἀγενής*. Nec Aristotelis verbis id repugnat: is enim jambum quidem dicit esse *τὴν λέξιν τὴν τῶν πολλῶν*, sed quod pergit: *διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες· δεῖ δὲ σεμνότητα γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι*, minime significat jambum esse turpem, sed in sermone gravibus affectibus pleno adhibendum non esse. Alio autem loco Dionys. c. 18, p. 120. jambus talis dicitur pes, qui ad ornandam orationem non sufficit, minime turpis: *τί οὖν ἐκώλυε καλὴν ἁρμονίαν εἶναι λέξεως, ἐν ᾗ μήτε πυῤῥίχιός ἐστι πούς, μήτ᾽ ἰαμβικός, μήτ᾽ ἀμφίβραχυς μήτε τῶν χορείων ἢ τῶν τροχαίων μηδείς;* Praeterea de trochaeo quoque consentiunt Aristoteles et Dionysius, ille enim sic judicat: *ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος· δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα· ἔστι γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα.* Accedit quod Dionysius illum gravissimum testem in disputatione de numeris profert: cap. 25. p. 197. *καὶ ὅτι ἀληθῆ ταῦτά ἐστι* (sc. orationem numerosam suis quibusdam pedibus distingui, nec tamen numeris adstrictam esse, quod nec eisdem ubique pedibus nec eodem in loco ornata sit), *καὶ ὅτι οὐδὲν ἐγὼ καινοτομῶ, λάβοι μὲν ἄν τις καὶ ἐκ τῆς Ἀριστοτέλους μαρτυρίας τὴν πίστιν· εἴρηται γὰρ τῷ φιλοσόφῳ τά τ᾽ ἄλλα περὶ τῆς λέξεως τῆς πολιτικῆς ἐν τῇ τρίτῃ βίβλῳ τῶν ῥητορικῶν τεχνῶν — καὶ δὴ περὶ τῆς εὐρυθμίας, ἐξ ὧν ἂν τοιαύτη γένοιτο· ἐν ᾗ τοὺς ἐπιτηδειοτάτους ὀνομάζει ῥυθμούς, καὶ πῇ χρήσιμος ἕκαστος αὐτῶν καταφαίνεται.* At opinor metricorum quoque indiciis usus est; nam quominus de Heliodoro „metrico artis antistite aut primo aut solo“ (cf. Mar. Vict. 2541.) cogitemus, impedit de ejus aetate dissensio, de qua supra diximus [1]). Ita quod

[1]) cf. Ritschl, Die alexandr. Biblioth. p. 138 sqq. H. Keil quaestt.

metricos exscripsit, Dionysius primum, qui nobis traditus est, pedum metricorum indicem instituit (cf. Rossbach und Westph. Metrik d. Griech. I. Bd. 2. Aufl. p. 118). Ipsum studia rhythmica et metrica non promovisse, illud ostendit, quod cap. 4. hexametra Homerica in Priapeia seu Ithyphallica male vertit (Rossb. u. Westph. l. c. p. 117.). Unum quidem omisimus, Ciceronem; sed quae de numero De orat. III, 44—51. Orat. capp. 49—67., maxime Thrasymacho et Aristotele auctoribus disserit, de origine atque usu numeri maximam partem, ei quaestioni quam nos tractamus lucem non adferunt. Constat igitur quibusnam metricis usus sit Dionysius ad liquidum perduci non posse. Quae vero de pedibus irrationalibus, anapaestum dico et dactylum irrationalem, ex rhythmicorum sententia tradit, non sine causa ex Aristoxeneorum doctrina prolata esse censet Westphal, Fragmm. d. gr. Rh. p. 12. Certi quidquam Rossb. et Westph. l. c. de fonte Dionysii non statuunt: „Dass nicht jeder πούς eine ausschliesslich zwei- und einseitige Silbenmessung hat, ist bei den späteren Metrikern, aber nicht bei Dionysius in Vergessenheit gerathen, und die von ihm hierüber gegebenen Notizen aus den ῥυθμικοί gehören zu den werthvollsten Puncten der alten Tradition.“ Restat ut Dionysii sententias de pedibus seu numeris vario modo miscendis cum Ciceronis comparemus: ille utrum hujus scriptis usus sit necne, perspici quanquam non potest, tamen ipsa comparatio docet Dionysium de illa re nihil novi protulisse. Etenim Cicero Orat. 197. jambum, paeana, dactylum inter se miscendos et temperandos esse censet, nam, „sic minime“, inquit, „animadvertetur delectationis aucupium et quadrandae orationis industria [1].“

---

gramm. p. 14 sqq. C. Wachsmuth Philol. XVI, p. 618 sqq. v. Leutsch Philol. XI, 746. Westphal, Fragmm. d. gr. Rh. p. 12 ante Dionysium eum vixisse existimat.

[1]) cf. §. 189. 213. „in orationis numero nihil est tam vitiosum quam si semper est idem.“ Similia adfert de orat. III, 49, 191.: „Consuetudo modo illa sit scribendi atque dicendi, ut sententiae verbis finiantur eorumque verborum junctio nascatur a proceris nume-

His si addimus locum Orat. §. 195: „Ego sentio omnes in oratione esse quasi permixtos et confusos pedes," de usu numeri praestantiora a Dionysio non prodiisse intellegemus cl. cap. 18: *εἰ μὲν οὖν ἔσται δύναμις ἐξ ἁπάντων τῶν κρατίστων ῥυθμῶν συνθεῖναι τὴν λέξιν, ἔχοι ἂν ἡμῖν κατ᾿ εὐχήν· εἰ δ᾿ ἀναγκαῖον εἴη μίσγειν τοῖς κρείττοσι τοὺς χείρονας, ὡς ἐπὶ πολλῶν γίνεται, οἰκονομεῖν αὐτὰ χρὴ φιλοτέχνως, καὶ διακλέπτειν τῇ χάριτι τῆς συνθέσεως τὴν ἀνάγκην, ἄλλως τε καὶ πολλὴν τὴν ἄδειαν ἔχοντας· οὐδὲ γὰρ ἀπελαύνεται ῥυθμὸς οὐδεὶς ἐκ τῆς ἀμέτρου λέξεως, ὥσπερ ἐκ τῆς ἐμμέτρου.* Sed ne sic quidem negari potest jure meritoque ap. Rossbach et Westph. l. c. p. 118. haec valere verba: „Besässen wir das Werk de compositione verborum nicht, so würde unsere Kenntniss der antiken Metrik ungleich mangelhafter sein; dies eine Buch wiegt in einigen Capiteln die Bedeutung einer ganzen Schaar späterer Metriker auf."

Ac porro de variatione quae praecipit cap. 19., optime quidem eum artem musicam cognovisse produnt, sed quod ad pedestrem orationem attinet, nihil novi statuunt; nam quo summa disputationis redit, ei licere quoquo modo velit compositionem variare, optimamque evadere, si plurimas intermissiones et structurae permutationes receperit, si quaedam periodo inclusa alia extra periodum efferantur, alia periodus ex pluribus membris alia ex paucioribus componatur, membrum aliud brevius aliud longius aliud velocius aliud remissius aliud denique accuratius, numeri praeterea diversi sint, diversae figurae et accentus: id a Cicerone non minus acriter efflagitatur[1]). Hoc tamen primus judicasse videtur Dionysius, summam varietatem inesse in Herodoti, Platonis, Demosthenis scriptis.

Ad decoram denique orationis structuram quod attinet,

---

ris, maxime heroo aut paeone priore aut cretico, sed varie distincteque considat." Cf. 50, 193.

[1]) cf. Orat. 135 sqq. de orat. III, 48, 184: „Liberior est oratio et plane, ut dicitur, sic est vere soluta, non ut fugiat tamen aut errat, sed ut sive vinculis sibi ipsa moderetur."

de ea quoque ante Dionysium a rhetoribus praecepta edita fuisse, non difficile est intellectu. Omnium enim de hac re scripta cum deperdita sint, extat Ciceronis disputatio Orat. 21, 70—22, 74. De orat. III, 55, 210—212. Cf. Quintil. XI, 1. Sed ipse Dionysius intellexit profundius ac latius de decentia orationis commentationem extendi posse, quam ut totus ejus ambitus complectendus esset [1]). Definitionem autem decentiae apud omnes notam esse profitetur: *Ὁμολογουμένου παρὰ πᾶσιν, ὅτι πρέπον ἐστὶ τὸ τοῖς ὑποκειμένοις ἁρμόζον προσώποις τε καὶ πράγμασιν κτλ.* Universam ejus in philosophia morali notionem Cicero de finib. I, 27, 93—28, 99. exponit, sed etiam de elocutionis decentia accurate exponit: „tum servare illud poetas, quod deceat, dicimus, cum id quod quaque persona dignum est, et fit et dicitur.“ Quid sit illud decorum, Cicero orat. 21, 71. („semper in omni parte orationis, ut vitae, quid deceat est considerandum, quod et in re de qua agitur positum est, et in personis et eorum, qui dicunt, et eorum qui audiunt“) cum Dionysio consentit: cf. illum locum cap. 20. et illud quod de Lysia judicat de Lys. c. 9: *οἴομαι δὲ καὶ τὸ πρέπον ἔχειν τὴν Λυσίου λέξιν, οὐθενὸς ἧττον τῶν ἀρχαίων ῥητόρων, κρατίστην ἁπασῶν ἀρετὴν καὶ τελεωτάτην ὁρῶν αὐτὴν πρός τε τὸν λέγοντα, καὶ πρὸς τοὺς ἀκούοντας, καὶ πρὸς τὸ πρᾶγμα — ἐν τούτοις γὰρ δὴ καὶ πρὸς ταῦτα τὸ πρέπον — ἀρκούντως ἡρμοσμένην.* Eodem redit Gorgiae scriptum de opportunitate supra a Dionysio adlatam; primus enim ille id egit, ut non modo quae esset pulchra et suavis oratio, sed — cum pulchrum minus apte collocatum nullam habeat vim — opportunitas quoque in quibus locis valeret, quoque in loco quidque esset adhibendum demonstraret. Ceterum quod Dionysius in partibus decentiae ponit, ut scriptores et oratores rem describendam aptis literarum sonis et verborum quasi imitari debeant, ipse quod cap. 16. docuerit, rei convenientia eligenda esse verba, ad totam compositionem

---

1) cap. 20. in. *βαθεῖα γάρ τις αὕτη καὶ πολλῶν πάνυ δεομένη λόγων ἡ θεωρία.*

propagandum esse significat: *ταῦτα παρατηροῦντα δεῖ τὸν ἀγαθὸν ποιητήν τε καὶ ῥήτορα μιμητικὸν εἶναι τῶν πραγμάτων, ὑπὲρ ὧν ἂν τοὺς λόγους ἐκφέρῃ, μὴ μόνον κατὰ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν* (p. 136. 137.).

Finis sit, nam quae deinde sequuntur disputationes de tribus generibus dicendi et de soluta atque poetica elocutione altera alteri adsimilanda, ex eis quae de modulatione, numero, variatione, decentia exposita sunt, facile intelleguntur. Hoc igitur constat, Dionysium ipsum levissima tantum excogitasse, sed quae ex doctrina grammatica et rhetorica, harmonica rhythmicaque et metrica apta viderentur, admirabili arte ita ad orationis et poematum compositionem adhibuisse, inde ut novam disciplinam institueret talemque artium liberalium conjunctionem in praestantissimis veterum scriptis inesse comprobaret. Nos autem si in eo offendimus quod aurium acumini in arte dicendi aestimanda omnia fere tribuit sententiasque quae in verbis latent parum respicit, hoc teneamus, delectationi non ejus demum aetate plus tributum esse quam utilitati.